

Q. D. B. VI
DE
**OPPOSITIONE
SVSPECTA**

AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECT. SAXONICI HAEREDIS
ETC. ETC. ETC.
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

PRAESIDE
DAV. THEODOS. LEHMANNO
PHILOS. PROF. EXTRAORD.

D. III. MARTII M D C C XII.

PVBLICE DISPVTABIT
JOH. FRID. TEBEL
MEYAPOLIT.

VITEMBERGAE,
LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI;

80.

Coll. diss. A
67, 66

a. LXVII. 66.

DE
OPPOSITIONE
SVSPECTA

AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECT. SAXONICI HAEREDIS
RTO. ETC. ETC.
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI



PRÆSID.
DAV. THEODOS. LEHMANNO
PHILOS. PROF. EXTRAORD.

D. III. MARTII MDCCLXII
PABICE DISPVART
JOH. FRID. TERBEL
MEYERBOLIT.

VITTEMBERGAR
LITTEBIS IO. GODOFREDDI MEYERB
80.

DISSERTATIO LOGICA

DE

OPPOSITIONE

SUSPECTA.

§. I.



Antum abest, ut cum iis consen-
tiam, qui infantem cum balneo
effundere, truncum cum ramis
refecare, triticum cum zizaniis
evellere, ac, nescio quo, innovan-
di pruritu adacti, superciliosa
fronte consuetos quosque in *Phi-*
losophia terminos aspernari so-

lent; ut potius eos, qui haec conceptuum compen-
dia, ideasque sobrie coordinandi subsidia, nobis exco-
gitarunt, singulari semper veneratione dignos aesti-
marim. Quare nec in praesenti mihi est constitutum,
Oppositionem omnem, quae negationis radices ac fun-
damenta subministrat, e *Cogitationis arte* eliminandi: *instituti*
sed eam saltem sub censuram revocare conabor, quae *ratio ex-*
ideo videtur suspecta, quod vel prorsus non, vel diffi- *ponitur.*
culter *Oppositionis* verae nomen tueatur. Ante vero,
quam id fiat, *Oppositionis* definitio ac divisio Lectori e-
rit propinanda, quo iis in memoriam reuocatis, mino-
ri difficultate mecum iudicium ferre, verumque a
suspecto dignoscere possit.

§. 2. *Oppositio*, quae ab *opponendo* nomen ducit, *quid sit Op-*
positio &
repu- *quotuplex?*

A

repugnantiaeque vocabulo interdum exprimitur, nunc laxioribus, nunc strictioribus carceribus solet circumscribi, & pro isthac diversitate, aliam atque aliam quoque (quod facile subodoraberis) admittit definitionem. Initio tanta gaudet latitudine, ut a *Terminis* aequae ac *Enunciationibus*, mentis opera abstracta, generali hoc conceptu describatur, quod sit *repugnantia quaedam, & impossibilitas, simul eidem conveniendi, secundum quod idem est.* (a) vel concinnius: quod sit *pugna Terminorum & Enunciationum.* Deinceps vel solos *Terminos* pro *Objecto* agnoscit, & in *Post praedicamentis* examinatur, vel *Enunciationum* quoque curam in se suscipit, & pro *earundem affectione* palmaria est habenda.

quod duplex
termino-
rum oppo-
sitione?

§. 3. *Terminorum Oppositio*, quae & *Oppositio rerum*, ac *simplicium Thematum*, *Oppositio* it. *incomplexa, materialis* ac *Topica* appellatur, denuo vel *Disparata* simul finu suo amice complectitur, vel, iisdem e societate exclusis, peculiarem sibi vendicat locum. Priori modo *Oppositi termini* dicuntur, qui de eodem *Subjecto singulari in casu recto, & in abstracto, affirmative, vere & simul praedicari non possunt.* (b) vel sunt *dissentanea*, quae ita dissentiunt, ut nunquam re ipsa simul esse, nec unquam uni eidemque attribui possint, secundum idem, & ad idem & eodem tempore. (c) Posteriori modo *Opposita a Disparatis* eo segregantur, quod illa multis pariter opponi possint, ista autem uni duntaxat eodem repugnandi modo: (d) Atque haec postrema *Oppositionis*

(a) Slevogt. Disp. 4. p. 71. (b) Saurius in Synt. Log. p. 201.

(c) Amand. Polanus a Polansdorff. Log. p. 62. (d) SAUR. l. c. p. 207.


tionis acceptio nobis *cynosurae* & *normae* loco erit, ad
cujus naturam omnis vera ac genuina *Oppositio* vide-
tur dimetienda.

§. 3. Facient eo non parum §. *Oppositionis ve-* *Oppositio-*
rae requisita, quae *Stagyrita* hoc ordine recenset: (e) *nis verae*
(1) ut sit τῆ αὐτῆ καὶ ἐνός, non ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ. (2) ut fiat *requisita.*
κατὰ τὸ αὐτὸ, non κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, *secundum eandem*
partem & naturam (3) πρὸς τὸ αὐτὸ, non πρὸς ἄλλο καὶ
ἄλλο, i. e. eodem respectu. (4) ὡσαύτως, *eodem modo,*
(5) ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, i. e. *eodem tempore.* Quarum con-
ditionum si unica tantum exulet, *oppositio* exspirabit,
& in apparentem transformabitur. e.g. *Avis est nigra*
avis est alba, sed alia atque alia, niger est corvus, al-
bus est cygnus. Sic Christus dicitur prior Abraha-
mo & etiam posterior, *sed secundum diversam naturam:*
Sol in Regis Hispaniae imperio nunquam occidit, *sed*
secundum diversas partes: Imperator Romanus dici-
tur & Dominus & Vasallus Imperii, *sed diverso respe-*
ctu. Terra movetur, terra quiescit, *sed diverso modo*
& sub diversis hypothefibus considerata: Galli vin-
cuntur, Galli non vincuntur, aër est frigidus, aër est
calidus, *sed diverso tempore.*

§. 5. Quanto magis vero in recensendis hisce *Oppositio-*
Oppositionis verae requisitis conspirare videntur aucto- *nis species.*
res, tanto magis in ejusdem specierum enumeratione
solent dissentire. *Peripatetici* communiter 4. *Opposi-*
tionis constituunt classes: *Relativorum, Contrariorum,*
Privativorum & Contradictoriorum, quas *ARISTOTE-*
LES (f) his verbis exponit: λέγεται τὸ ἕτερον ἐτέρῳ ἀντι-
καίθαι

(e) περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων βιβλ. Δ κεφ. ε. §. δ. (f) κατη-
γορ. κεφ. Ι.

καὶ ὁμοῦ τετραχῶς ἢ ὡς τὰ πρὸς τι, ἢ ὡς τὰ ἐναντία, ἢ ὡς ἑρῆσις καὶ ἕξις, ἢ ὡς κατὰ Φασις καὶ ἀπόφασις i. e. Dicitur unum alteri opponi quadrifariam, velut ad aliquid, e.g. bonum malo, vel ut privatio ἔ habitus, e. g. coecitas & visus, velut affirmatio ἔ negatio e. g. sedere non sedere. Et alibi (g): Ἀντικείμενα λέγεται ἀνίφασις, καὶ τ' ἀναντία, καὶ τὰ πρὸς τι, καὶ ἑρῆσις καὶ ἕξις. Quibus alii non contenti *disparata* admiscunt. Quae divisio & Ramistis arridet, quoniam constituto summo genere *dissentaneorum*, *Diversa* simul huc revocent, & Ciceroniana latinitate *Opposita* stricte sic dicta, *Contrariorum*, & *Contraria* stricte sic dicta (quod sequens Schema ostendit) *Adversorum* nomine pronuncient. (h)



fundamentum
divisionis.

§. 6. Quicquid vero hujus sit, fundamentum divisionis in eo residet, quod *Ens* opponatur vel *Enti*, vel *Non-Enti*. Si *Ens* opponatur *Enti* i. e. si utrumque extremorum sit *Ens* aut *aliquid positivi*, *Oppositio* iterum fit vel *absolute*, unde nascuntur *Contraria*, vel *relative*, unde promanant *Relativa*. Si *Ens* opponitur *Non-Enti*, vel quod idem, si alterum membrum sit *Non-Ens* aut *terminus Negativus*, denuo negat vel *absolute* & simpliciter, sic habes *contradictionem*; vel *secundum quid*, ita, ut utriusque idem competat *Subiectum*, & resultabit *Oppositio Privativa*.

§. 7.

(g) τῶν μετὰ τὰ Φυσικὰ Δ. κς Φ. ι. (h) Dieter. Instit. Dial. p. 117.

DE OPPOSITIONE SUSPECTA.

§

§. 7. Sed nec id silentio est praetermittendum, quod Oppositorum isthaec species, non univoce, sed analogice tales sint reputandae, quandoquidem principaliter Oppositio Contradictioni, secundario & in minori gradu Contrariis & Privativis, minimo Relativis attribuat. *an species istae sint univocae an analogae?* Contraria enim tantum versantur circa Entia positiva, privativa circa Ens & Non-Ens secundum quid, Contradictio autem circa Ens & Non-Ens absolute & in summo rigore. Contraria conveniunt in essentia & genere, privativa in Subjectis, Contradictio nullibi. Quod cum animadverteret KECKERMANNVS, (i) Oppositionem dividendam judicavit in communem per quam Contradictionem intelligit, & specialem, quae iterum in primariam & secundariam ipsi dispescitur. Ad Primariam refert Privativa, Disparationem, Repugnantiam & Contrarietatem. Secundariae nomine adducit Relata, s. Oppositionem, quae inter Relatum & Correlatum intercedere solet. *Keckermanni divisio.*

§. 8. Cum autem non sufficere videatur nominasse Oppositorum species, quomodo a se invicem porro distinguantur, exemplis est demonstrandum. Praetereo de industria Diversa, quae cogitatione saltem distinguuntur, & re ipsa simul uni eidemque subjecto convenire possunt, quoniam ad demonstrandum parum aut nihil conducunt. e. g. divitem & impium esse, studiosum & Musicum esse. Mitto etiam Disparata, quae multis pariter & eodem modo opponi consueverunt, & de quibus paulo post prolixius mentem meam declarabo: Dicam saltem de 4. ARISTOTELIS speciebus, inter quas Contradictioni jure meritoque praerogata. *quid diversa?* *de Contradictione*

A 3

(i) Syst. Log. p. 282. seqq.

quid?

rogativam concedo. Est illa *repugnantia* inter *Ens* & *Non-Ens* quibus nihil prorsus invicem est commune, & quae omni omnino medio tam negationis, quam participationis in infinitum destituuntur. Quare qui hanc ex *Oppositorum* numero velit relegare, vel in victum illud & infallibile principium enervare necesse habebit: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*; vel in ipsa meridie hallucinationis suspicionem non poterit evitare.

& quotu-
plex sit?

Perinde autem erit, siue *Contradictio* lateat implicite in termino positivo e. g. *Ecclesia Romana Catholica, electio Universalis, fraus pia, sapientia insipiens, serra cerea, Concordia discors* siue explicita negatio positivo termino adjungatur. e. g. *Gallus non-Gallus, pacem servabit, pacem non servabit.*

de Contra-
riis.

§. 9. *Contradictionem* excipiat *contrarietas*, quae *Oppositio* est inter duas qualitates, se mutuo expellentes. *Qualitatibus* enim, differentiis specificis pugnantibus, & conceptibus primo propriis oppositis, hanc pugnam deberi constat, non *substantiae*, non *quantitati*, non *relationi*, immo nec *loco*, quandoquidem non nisi *Geographice Contraria* sint *Polus Arcticus & Antarcticus, Punctum Zenith & Nadir, Antipodes.* Unde

quid sint?

Contrarie Opposita dicuntur *duo Entia*, (en differentiam a *Disparatis*) *absoluta* (en differentiam a *Relatis*) quae sub eodem genere, vel proximo, ut *albedo & nigredo*, vel remoto, ut *justitia & injustitia* sub habitu (en differentiam a *Privativis & Contradictoriis*) plurimum distant, eidemque subjecto NB. *susceptibili*, a quo se mutuo expellunt, per vices insunt, nisi alterum insit a natura. (k) e. g. *calor & frigus, amor & odium, bellum & pax,*

(k) Saurius l. c. p. 210.

*pax, Deus & Diabolus, magnum & parvum, curvum & re-
ctum, conjugium & coelibatus, invidia & favor, pulchrum
& deforme. Vbi tamen adhuc notandum, contraria sunt l. me-
interdum agnoscere participationis medium. e. g. in- diatae l.
ter album & nigrum dantur colores intermedii, inter ca- immedia-
lorem, & frigus, tepiditas: interdum autem sine medio tae.
subjecto convenire, e. g. par & impar numero, verum &
falsum Syllogismo. Expulsio autem ita est concipienda,
ut, quo unum Contrariorum plus virium aut roboris
nanciscatur, hoc magis alterum debilitetur atque de-
ficiat, quod in Nerone aliquando prodigalissimo, ali-
quando avarissimo olim, & hodiernum in aqua effer-
vescente quotidie licet observare. Quod si etiam con-
tingat, ut plura, quam duo, sibi invicem opponantur, ^{quomodo}
vel alia aliaque Oppositionis deprehendatur species, e. g. ^{pluribus}
^{opponan-}
^{videnti} opponitur coecus privative, non videns contra- ^{itur?}
^{dictorie}; vel unum eorum ceu totum aggregatum e-
rit considerandum, e. g. si Praeceptorum opponantur mul-
ti discipuli, Patri multi liberi, vel dissimili tamen ratio-
ne fiet oppositio, ut prodigalitas & avaritia opponuntur
liberalitati, sed alterum in excessu, alterum in defectu.
Sufficit, ex his apparere satis, veram inter Contraria
intercedere pugnam, unde nemo ex Oppositorum
societate eadem exterminare audebit.*

§. 10. Sequuntur Privativa, quae absentiam ^{de Privati-}
formae s. habitus, in Subiecto inesse debiti, inuoluunt, ^{tivis}
eandemque vel omnimodam et totalem, qualis est mors
respectu vitae; vel aliqualem et partialem, e. g. luscitas
et coecitas resp. visus, surditas resp. auditus, ignorantia
resp. scientiae, morbus resp. sanitatis, tenebrae resp. lu-
cis etc. Ampliandum autem est vocabulum habitus,
ut

quid habitus uocabulo includatur? ut et *naturalem potentiam* includat, quo pacto *coecitas* opponitur *uisui*: et *habitum* in specie sic dictum, ut ignorantia opponitur scientiae: et *qualitatem patibilem*, cuius respectu tenebrae opponuntur luci: et *operationem* e.g. somnus opponitur quieti: et *habitum* in X. Categoria, e.g. nuditas opponitur uestitui. Porro *subiectum* priuationis debet esse capax, ἐν ᾧ πέφυκεν ὑπάρχειν ἢ ἔξισ, καὶ ὅτε πέφυκεν ὑπάρχειν. Quare de catulis, ante 9. diem per naturam non uidentibus, proprie non possum dicere, quod sint coeci, nec de infante recens nato, quod sit mutus aut edentulus (non enim omnes infantes exemplo hodierni Regis Galliae ex utero materno secum dentes ferunt) cum tunc temporis nec possit, nec debeat loqui nec dentibus esse instructus. Denique *priuatio* ex re magis, quam ex *terminis*, qui haut raro *positiui* quid important, est iudicanda, e.g. *irrationale*, *incorporeum*, *immensum* etc. Quae omnia si rectius perpenderis, haud difficulter denuo pugna, quae inter *habitum* et *priuationem* intercedit, tibi innotescet, ut lubens iis inter *Opposita* locum relinquant.

de Relatiuis. §. II. Sed quid iudicandum erit de *Relatiue Oppositis*, quae de industria hucusque reseruauimus? num in his quoque datur uera repugnantia? num haec quoque se inuicem mutuo euertunt? Videbimus id ex eorum descriptione, ab *Aristotele* satis obscure prolata: (1) ὅσα ὡς τὰ πρὸς τι ἀντίκειται, αὐτὰ ἀπὲρ ἐστὶ τῶν ἀντικειμένων λέγονται, ἢ ὅπως οὖν ἄλλως πρὸς αὐτὰ. i.e. *Quicumque ut ad aliquid (relatiue) sibi opponuntur, id ipsum, quod sunt, oppositorum dicuntur, aut quomodo-*

(1) κατηγ. κεφ. 1.

cunque aliter ad ea referuntur. Quae alii clarius ita efferunt: *Relatiue opposita sunt, quae pugnant ut relatum et correlatum, (m) uel quorum unum ita opponitur, ut tamen alias consensio inter ea esse possit. (n) e.g. sponsus et sponsa, magistratus et subditi, mater et filia etc.* Quatenam haec sit pugna, iudicatu est facillimum, scilicet, cum in *Praedicamentis* considerentur *Relata* quomodo pugnent? ut diuersa, et propter mutuam relationem se mutuo constituentia, hoc loco in *Postpraedicamentis* spectantur quatenus in unam eandemque rem non cadere, nec uni eidemque rei secundum idem et ad idem tribui possunt, uel quatenus unum non potest esse alterum, sed suis terminis opponuntur. Sic focer non est gener, dare non est accipere, docere non est discere etc.

§. 12. At enim uero uideo in his quidem distinctionem, sed ne oculo quidem armato repugnantiam deprehendo, quae tamen Oppositionis anima, datur distinctio non pugna. nucleus et formale est. Imo non desunt rationes, cur aegre *Relationi Oppositionis* nomen concedam. Nec enim unum Relatorum hoc loco destruit alterum, quod in reliquis Oppositionum generibus fieri palam est. e.g. in *Contradictoriis* homo non homo unum alterum destruit; in *Contrariis* calor et frigus unum alterum e *subiecto* expellit: in *Privatiuis*, coecitas et uisus unum alterius deuastationem supponit, cum in *Relatis* contra tantum absit, ut unum alterum euerat, ut se potius mutuo constituent: Nec essentia etiam *Relatum & correlatum* diuersa semper esse oportet, cum tres Deitatis personae *relative* sint *Oppositae*, & ta-

B

men

(m) SAVR. p. 209. (n) POLANVS p. 65,

Scholasti-
ca distin-
ctio.

Disparata
non sunt
opposita.

definitio.

men non nisi unus simplicissimus numero & essentia Deus sit admittendus. Nec *oppositio* ulla distincta in *Relatis* unius nominis observatur e. g. si dicerem: soror non est soror, frater non est frater, amicus non est amicus, hospes non est hospes &c. Denique ab ipso ARISTOTELE pro *μαλακωτάτη* seu debilissima *oppositione* agnoscitur. Quod *Scholasticis* quibusdam ansam dedit distingvendi inter „*Oppositionem ratione dependentiae*, qua dependet unum ab altero, & inter *Oppositionem ratione remotiois*, qua unum remotet alterum. Quam postremam demum *Oppositionem* vere pugnacem vocant, cum prior ideo non satis videatur inimica, quod alterum ponat alterum, & unum *oppositorum* dicatur esse alterius, quod in reliquis *oppositionum* generibus non est permissum. (o)

§. 13. Idem esto iudicium de *disparatis*, quorum autor vulgo *Rud. Agricola* salutatur, & de quibus non sine ratione dubitatur, an jure nomen *Oppositorum* ferant, veramque pugnam ostendant? Descriptio minimum contrarium potius auditori & lectori inspirat. Sunt enim *res dissentanea*, quae naturam quidem habent diversam, proprie tamen & simpliciter non pugnant. (p) Sunt *dissentanea*, quorum natura dissentit, & quasi separata est a se invicem, sed sine pugna, habent contradistinctas essentias, sed non repugnantes; (q) significant quidem diversum, sed sine pugna. (r) e. g. Deus, homo, arbor. Lapis, mercator, miles &c. Ratio cur non possit unum *Disparatum*

(o) KECKERM. Syst. Log. p. 228. (p) Scharff. Man. Log. p. 268. (q) Weberus in Not. ad Scharff. p. 69. (r) Weis. Log. p. 174.

tum de altero prædicari hæc est, quod *Substantia sub-*
stantia ordinarie non inhæreat, consequenter non nisi
 improprie invicem enunciatur e. g. *Herodes est vulpes*
 i. e. astutus. *Juventus est flos*, i. e. caduca. Inde au-
 tem nequaquam est inferendum: quia non solent de
 se invicem prædicari, ergo pugnant, ergo sunt oppo-
 sita? Verissimum id est, *Stagyritam* non nisi 4. Oppo-
 sitionum species *L. II. Top. c. 8. Metaph. L. IV. c. 10. Categ.*
c. 10. Et c. recensere, omissis prorsus *Disparatis*, &
 quanquam alibi iisdem differentias attribuat ἀντιφα-
 τικάς ex quibus rigorosi censores *oppositionem* volunt
 exsculpere, id tamen non nisi de iis valebit *Disparatis*,
 quæ uni generi proximo substant e. g. homo & bru-
 tum sub animale; minime vero de *Disparatis* sub di-
 versis generibus contentis, quales sunt: angelus, la-
 pis, canis &c. Ridiculosa quoque est demonstratio
 & satis longe petita, qua *Disparata* hoc modo in Oppo- pugna spe-
 sitionem cupiunt resolvere: *Homo & non-homo* sunt op- cies.
 posita, ad *non hominem* autem referendus est *lapis*, Er-
 go *lapis & homo* vere sibi opponuntur, it. *Mercator &*
non-mercator sunt opposita, ad *non mercatorem* autem
 spectat quoque *miles*. Ergo. Eodem enim jure &
 fundamento pro *Oppositis* habere possem, quæ tan-
 quam *Distincta & Diversa*, uni *Subiecto* possunt conve-
 nire. e. g. *paupertas & eruditio*. Nam & *paupertas &*
non-paupertas sunt opposita, & ad *non paupertatem* in-
 ter alia quoque pertinet *eruditio*. E. sunt opposita. Inte-
 rim adhuc semel moneo, me *Oppositorum* nomine
 non ea intelligere, quæ aliqualem pugnae speciem
 præ se ferunt, sed quæ revera, citra mentis operam
 pugnant & se mutuo evcrtunt.

Enuncia-
tionum
Oppositio

quid?

quomodo
debeat fie-
ri?

Species
Oppos. E-
nunciatio

§. 15. Atque haec haec hactenus de *Terminorum Oppositione* monuisse sufficiant, opus nunc erit, ut de *Enunciationum repugnantia*, quae palmaria earundem affectio habetur, & nunc *Thematum compositorum*, s. *Axiomatum Oppositio*, nunc *composita*, nunc *formalis* audit, breviter & pro instituti ratione adhuc agamus. Recte describitur illa, quod sit pugna duarum Enunciationum, eodem *subjecto* & *Praedicato* constantium, in *Affirmando* & *Negando*. Aristoteli ἀντιφασίς ἐστὶ κατὰ φασίς καὶ ἀπόφασίς αἰ ἀντικειμένη. (s) Licet enim non diffidear aliter eandem ab aliis e.g. TITELMANNO (t) „definiri, quasi sit *repugnantia duarum propositionum*, „*utroque termino participantium eundem ordinem*, vel „*in qualitate tantum*, vel *in quantitate tantum*, vel *in qualitate & quantitate simul*: ideo tamen haec & similes definitiones mihi videntur suspectae, quod ad *Propositiones Subcontrarias* & *Subalternas* se simul extendant, quas ex ordine verarum *Oppositionum* infra excludemus. Constat autem vel me non monente inter omnes, eundem terminorum in *Enunciationibus* ordinem & significatum constanter esse retinendum; quare propositiones istae: *Nix est alba*, *nix est nigra*: it. *Cicero est Orator*, *Cicero est Medicus*, non legitime sibi invicem opponuntur, tum quod priores *oppositos* tantum ostendant *terminos*, tum quod posteriores *diversum* prorsus assumant *praedicatum*. Aeqve enim hic observari debent *Oppositionis* leges & requisita, quae supra de *Oppositis terminis* allegamus.

§. 16. Ad *Species Oppositionis Enunciationum* me

(s) περὶ ἐπηνείας κςφ. §. 5. d. 5. (t) cit. Scheibl. in *Instit. Log.* p. 299.

confero, quas nunc largiori, nunc pariori manu nobis offerunt Logici. P. RAMVS ex SCHEIBLERI sententia (u) sola *Contradictione* est contentus, *Contraria* vocans *Contradictionem generalem*, & *Contradictionem Aristotelis*, *Contradictionem specialem*: a quo non multum differunt, qui *Contraria* & *Contradictoria* separatim efferunt, ut SCHEIBLERVS, DITHMAR-SIVS. Alii tres *Oppositionum* constituunt classes: *Subcontraria*, *Contraria* & *Contradictoria*, ut SCHARFFIVS (v) aut *Contradictoria*, *Contraria* & *Singularia*, ut SAVRIVS. l.c. Aliicum P. HISPANO 4. *Oppositionum* enumerant species: *Contraria*, *Contradictoria*, *Subcontraria* & *Subalterna*. Nos *Contraria* & *Contradictoria* sufficere posse existimamus, non opus arbitrati, ut totidem in *Enunciationibus* quoque nobis fingamus *Oppositionis* species, quot in *Terminis* observare licebat, cum ibi ab extremis sumatur *Oppositio*, h.l. autem a sola *Enunciationum* repugnantia.

§. 17. *Contradictoria Enunciationum Oppositio* est *de Contra-*
inter Universalem Affirmantem & Particularem Negan- *dict.* *E-*
tem, vel vice versa *inter Universalem Neg. & Particula-* *nnciat.*
rem Aff. Nam quia *praedicatum* in *Universali* extra *oppos.*
subjectum debet patere, & de omnibus sub *subjecto* con-
tentis vel affirmari vel negari, si *Particularis* ei oppo-
natur, instantia quasi ostenditur, *praedicatum* non de
omnibus sub *subjecto* contentis verificari. e. g. O. pa-
ctum est servandum, Q. pactum non est servandum. O.
deliberatio est salutaris. Q. deliberatio non est saluta-
ris: vel ita: Nulla injuria est facienda. Q. injuria est
facienda. N. pauper est dives, Q. pauper est dives.

B 3

Vbi

(u) l. c. (v) p. m. 433.

fiat in Singu-
gul. non in
Plural.

Vbi tamen probe notandum, *Oppositionem* hanc non nisi in *Singulari* verum a falso distingvere, cum quidem haec regula sit vera: *Quodlibet est vel non est*, minime vero ista: *Quaelibet vel sunt vel non sunt*. Tametsi enim hoc neglecto aliquid veri interdum emergat, id sane non tam formae, quam materiae est imputandum. Caeterum suapte sponte ex jam dictis quilibet assequitur, in hac Opponendi ratione ne minimum posse desiderari.

Contraria-
rum Enun-
ciationum
Oppositio.

potest esse
falsa

est tamen
vero Oppo-
sitiio

§. 18. Progredimur ad *Contrariorum Oppositionem*, quae est inter duas propositiones *Universales*, alteram *affirmantem*, alteram *Negantem*. e. g. *O. avarus est sordidus. N. avarus est sordidus. O. bonum est appetibile. N. bonum est appetibile*. Atque hanc *Oppositionem* inferioris longe conditionis esse quam *Contradictoriam*, ex eo sole meridiano clarius liquet, quod illa semper & ubique verum a falso secernat, haec autem in rebus tantum necessariis officio suo perfungatur, in contingentibus falsitatis haut raro convicta. e. g. *O studiosus callet Musicam. N. studiosus callet Musicam. O. Collega est invidiosus. N. Collega est invidiosus*. Quae ratio est, cur parum quoque habeat utilitatis in disciplinis, & cur nonnullis a vera *Oppositione* infallibilem semper veri a falso divisionem exigentibus, visa fuerit suspecta. Tuebitur tamen adhuc verae *Oppositionis* nomen ideo, quod recte etiam *Universali* contradicatur, quando praedicatum convertibile & necessarium *universaliter* in altera Propositione de *Subjecto* negatur, in altera affirmatur; immo in propositionibus praedicatum minus convertibile habentibus, necessitas ipsa interdum (ne auditor dubius relinquatur) ejusmodi *Contrarietatem* imperare videtur. e. g. *Contradictio*
fe-

sequens: *O. reprobis reconciliantur Deo, Q. reprobis non reconciliantur Deo, it. Omnis homo est lapis. Q. homo non est lapis, dimittit auditorem haesitantem, annon aliquis Deo reconcilientur, it. annon aliquis homo sit lapis, cum Contrarietas omnem litem dirimat, dicendo: O. reprobis reconciliantur Deo. N. reprobis reconciliantur Deo. O. homo est lapis, N. homo est lapis.*

§. 19. Ut ut vero *Enunciationes contrarie sibi oppositae* simul possint esse falsae, nunquam tamen simul existent verae, quod sequentem in modum demonstro: *Duae Contradictoriae* nunquam simul possunt esse verae: Ex duabus *Contrariis*: *O homo est dives. N. homo est dives*, sequeretur haec: *aliquis homo non est dives*, quae *Universali Affirmanti*: *O. homo est dives* vere contradicit. Ergo posito quod dictae *Contrariae* simul essent verae, & ipsa inde deducta *Particularis Negans* vera esset, immo quod magis, *duae Contradictoriae* essent verae, quod est absurdissimum. Non improbo interim *Logicorum* communem, quam pro hac demonstratione allegant, rationem, quod *duae Contrariae* ideo non possint esse simul verae, quia in utraque unum idemque sit *Subjectum*. Recte enim inferitur, Ergo duo *praedicata Opposita* eidem vere attribui non possunt, licet utrumque ab eo possit removeri.

§. 20. Non moramur hic amplius, cum haec satis videantur demonstrata, sed ad suspectas nunc *Enunciationum Oppositiones* in officio pede nos convertimus, in quarum gratiam sequentes formandae sunt quaestiones: an *Subcontrariorum* Oppositio sit vera? an *Indefinitarum* Oppositio sit vera? an *Singularium* Oppositio mereatur peculiarem classem? an *Subalter-*

possunt si-
mul esse
falsae sed
non verae.

de Enun-
ciationum
Oppositio-
ne suspe-
cta.

nae

nae sibi recte opponantur? quid *propositiones Biparticulares* habeant in recessu?

de Sub-
contrariis.

§. 20. Ἰπεναντία s. *Subcontraria* dicuntur duae *Enunciationes particulares* diversae qualitatis, altera *Affirmans*, altera *Negans*, quae contradictorie suis *Contrariis*, a quibus *Subcontrariorum* nomen tulerunt, opponi possunt. e. g. *Q. homo est mortalis, Q. homo non est mortalis. Q. mendicus est impius, Q. mendicus non est impius.* Istaе duae *propositiones* non possunt simul esse falsae, ut erant *Contrariae*, quia alias *Contrariae Enunciationes*, quibus addita aut dempta negatione contradicunt, deberent esse simul verae, quod in omnem aeternitatem non eveniet: possunt interim simul esse verae, non quidem in materia necessaria, ubi *Subiectum & Praedicatum* necessario cohaerent, bene tamen in contingenti, ubi *Subiectum* cum *Praedicato* contingenter saltem est combinatum e. g. *Q. rusticus effodit thesaurum. Q. rusticus non effodit thesaurum. Q. foemina est formosa, Q. foemina non est formosa.* Consensus iste easdem reddit merito suspectas, quo minus verae *Oppositionis* nomine a prudentioribus dignentur. Quamquam enim negari non potest copulam s. vinculum in una *Enunciatione* affirmatum, in altera negatum *Oppositionis* speciem mentiri; nemini tamen imponent haec, qui ob utriusque *propositionis* veritatem verum a falso exacte distingvi non posse, secum reputabit.

Oppositio
earum Ar-
ristot. est
nominalis
tantum

§. 21. Non dememini ARISTOTELEM *Subcontrariarum* hinc inde facere mentionem, sed ita, ut eas *Contrariis* *Oppositas* concedat, *Oppositionem* vero earum mutuam mere *nominalem & titularem* esse fatea-

fateatur. En ejus verba: (X) λέγω τὸ ἀντικειμένας προτάσεις εἶναι κατὰ μὲν τὴν λέξιν τέτταρας: οἷον, τὸ παντὶ τῶ ἄδενι, καὶ τὸ παντὶ τῶ ἔπαντι καὶ τὸ τινὶ τῶ ἄδενι, καὶ τὸ τινὶ τῶ ἔπαντι, κατ' ἀλήθειαν τὲ τρεῖς. τὸ γὰρ τινὶ, τῶ ἔπαντι, κατὰ τὴν λέξιν ἀντίκειται μόνον. h. e. *Dico oppositas propositiones esse secundum dictionem quatuor, nempe Omni Nulli (oppositio Contraria) ἔ Omni non-omni; & Alicui Nulli (Contradictio) ἔ Alicui non-alicui (oppositio subcontraria) revera tamen tantum tres sunt. Nam alicui non-alicui (oppositio subcontraria) secundum dictionem tantum, ἔ non secundum veritatem opponuntur. Quæ ARISTOTELIS vestigia arcte presserunt, qui vel retentis Magistri verbis Enunciationum Oppositionem vel κατ' ἀλήθειαν vel κατὰ λέξιν fieri docuerunt, ut BURGERSDICIVS (y) vel immutatis paulisper terminis, in veram & apparentem, ut HERBINIVS. (z) in principalem & minus principalem, ut KECKERMANNVS (1) illam distribuerunt.*

§. 22. Ne vero in suspenso forsitan relinquatur animus tuus, ac si his non obstantibus nihilominus locum inter veras Oppositiones mereantur subcontraria, aperiendum est ulcus, quo laborant, detegendumque vitium, quo in veræ Oppositionis leges impingunt. Notum est ex supra dictis Oppositionem fieri debere de uno eodemque subjecto, & confirmant idem Stagiritæ verba: λέγω τὸ ἀντικεῖσθαι τὴν τῆ αὐτῆ κατὰ τῆ αὐτῆ μὴ ὁμωνύμως i. e. *Dico autem opponi eam quæ est ejusmodi de eodem, non homonymice.* (2) Jam vero subcontrariorum Oppositio non fit de eodem, sed de di-

cut non fit
vera oppositio?

C

ver-

(y) Instit. Log. p. 188. (z) Clav. ad Facil. Logic. p. 349.

(1) Syst. Log. p. 354. sqq. (2) de Interpr. c. 6. §. 5.

verfis *Subjectis*, quamobrem & utraque emergit vera
 e.g. *Q. vinum obest sanitati* (Gallicum) *Q. vinum* (Rhe-
 nanum) *non obest sanitati. Q. homo est justus* (Aristides)
Q. homo non est justus (Verres) *Q. Consul fit vigil publi-*
cus (Oldenburgensis) *Q. consul non fit vigil publicus*
 (Hamburgensis) *Q. homo est doctus* (Aristoteles) *Q.*
homo non est doctus (Choroboeus) &c. Ergo ne-
 quaquam pro vera Oppositione est recipienda, inpri-
 mis cum in disciplinis nullam prorsus habeat utilita-
 tem. Nec est, quod urgeas, de eodem *Subjecto* has
Enunciationes intelligi posse, quod ad modum indivi-
 dui vagi se haberet, sic enim revera transformantur
 in *Singulares*, quæ simul veræ dici non possunt, quod
 tamen de *Subcontrariis* fuit affirmatum, & ab ipso *Pe-*
ripatetico his verbis traditum: τὰς τὲ ἀντικειμένας ταύτας
 (loquitur de *Subcontrariis*) ἐνδέχεται ποτε ἐπὶ τῆ αὐτῆ
 συναληθεύειν i. e. *his* autem oppositis contingit ali-
 quando in eodem simul veras esse. (3)

Indefini-
 tarum
 Oppositio
 non est no-
 va spe-
 cies.

§. 23. His præstructis de *Infinitarum Enuncia-*
tionum oppositione facillimum erit iudicium. Di-
 cuntur ita propositiones, quæ nullum *quantitatis si-*
gnum, neque *Universale*, neque *Particulare* habent
 præfixum e.g. *Matres amant filios, matres non amant*
filios. Fortes creantur fortibus, fortes non creantur for-
tibus. Si tamen dicendum, quod res est, *Subjectum*
 commune, quod h. l. nullum signum ostendit, sem-
 per æquipollet vel *Universali* in materia necessaria e.g.
homo est rationalis, homo non est rationalis; vel *Particu-*
lari in materia contingente e.g. *Fur est ingeniosus, fur*
non est ingeniosus. Quodsi autem vel pro *Universali*
 vel

(3) de Interpr. c. VII. §. 9.

vel pro *Particulari* possit haberi, quid opus est novam constituere speciem? Velim tamen distingvatur inter *Enunciationem materialiter & formaliter* consideratam, priori modo attenditur *res*, an *Subiectum* cum *Pradicato* vel *neccessario* vel *contingenter* cohæreat: posteriori attenditur *enunciandi modus* per signa seu *Universalia* seu *Particularia*. Adhæc perinde ut in *Subcontrariis* de idea & de rebus necessariis formatæ, & de diversis *Subiectis* intellectæ, utraque *Indefinitarum* potest esse vera e. g. *Latro* (ad dextram Christi pendens) *salvatur*. *Latro* (ad sinistram ejus pendens) *non salvatur*. *Rusticus* (Andreas) *habet liberos*. *Rusticus*, (Stephanus) *non habet liberos*. Quo respectu ARISTOL. negat eas *contradictorie* opponi, & nos eas ex veræ *Oppositionis* territorio ejicimus, non invitæ alias permittentes, ut in materia *neccessaria* vel *impossibili* *Contradictioni* adscribantur e. g. *Homo est lapis*, *homo non est lapis*. *Fides est omnium*, *fides non est omnium*. *Purgatorium est*, *Purgatorium non est*. *Corpus Christi communicatur in, cum, & sub pane in S. Coena*, *Corpus Christi non communicatur in, cum, & sub pane in S. Coena & c.*

§. 25. Quod ad *Singularium Enunciationum* *Oppositionem* attinet, quæ constant *Subiecto* singulari, vel communi quidem, sed singulariter sumto e. g. *Salvatio* *mo fuit sapientissimus*, *Salomo non fuit sapientissimus*. *Quantitas est Objectum Matheos*, *Quantitas non est objectum Matheos & c.* communiter illæ, non dissentiente quoque *Aristotele*, (4) ad *contradictionem* solent revocari. Placuit tamen CL. SCHEIBLERO *contrariam* ingredi viam, mitiusque expositis *Stagirite* verbis (ac si convenientiam saltem *Singularium* cum *Contradictorius*

C 3

(4) de Interpret. c. 7. §. 9.

singularium
um opposi-
tionum ad
Contra-
dict: per
tineat?

an vero ad
Contra-
ria?

quid
Contradi-
ctoria &
Contraria
de lege?

Etoria in dividendo vero a falso ostendere voluisset) e-
asdem ad *Contrarias* referre. Nixus, quantum Video,
his rationibus, 1) quia *ARIST.* de Interpret. c. xiv. §. i. di-
serte has propositiones appellet *Contrarias*. *Callias est*
justus, Callias non est justus. 2) quia facile dari posset
conceptus *Contrarietatis* communis, si sub se com-
plectatur & *Universalem* & *Singularem* oppositionem,
dicendo: *Contrarietatem* esse *Oppositionem* propositio-
num ejusdem *Quantitatis*, qui unus conceptus dari
non posset, si singularia *Contradictoria* accenseantur.
3) quia *Universales* magis conveniant *Singularibus* E-
nunciationibus, quam *Particulares*. Sed, quod pa-
ce CL. Viri dixerim, hae rationes me non movent, ut
in partes ejus descendam. Notum enim est *ARISTO-*
TELEM in verbis interdum esse admodum facilem, *Op-*
positionem saepe vocare *Contradictionem*, vel *Contra-*
rietatem. Praeterea h. l. tantum disputat an affirma-
tio negationi soli, an vero etiam affirmationi sit con-
traria, veluti *Callias est justus, non est Callias justus, Cal-*
lias injustus est. Deinde generalis iste conceptus quan-
titatis, quem CL. autor suppeditavit, modo opponen-
di non potest praëjudicare. Denique *Singulares* in *Syl-*
logismo saepe *Universales* repraesentare largior, sed
Universales oppositas & *Singulares oppositas* satis conve-
nire nego. Non diffiteri hinc potest ipse autor, *Sin-*
gularia dici omnino etiam posse *Contradictorie* *Opposi-*
ta, sed *de lege*, seu ejusmodi, quae leges *Contradictorio-*
rum in *Discretionem* veri a falso servant, quemadmodum
cum *Collegio Conimbricensi* illas *Contrarias* propositio-
nes *de lege* vocat, quae *Contrariorum* more interdum si-
mul vera esse possunt. e. g. *O homo est Philosophus. Ari-*
stote-

Stoteles non est Philosophus. Id unicum videtur addendum, quod in *Singularium* oppositione de futuro contingenti utra vera vel falsa sit a finito intellectu definiri non possit, tametsi omniscio Deo id non sit absconditum e. g. *alea ludens vincit, alea ludens non vincit.*

§. 27. De *Subalternis* nunc porro quaeritur, de *Subalternis* quod an sibi invicem debeant opponi, vel quod idem est, an *Particularis* conjuncta suae *Universali* faciat *Oppositionem*? e. g. *O. avis volat, Q. avis volat.* Et negatur in *sibi invicem* totum. Sive enim spectes, *Particularem* in *Universali* *semper* contineri, sive propter eandem rationem, utramque propositionem esse veram, facile auguraberis, longissime isthanc Propositionum combinationem a vera oppositione, quae nec in Opposito potest contineri, nec veritatem veritati opponit, recedere. Ut enim duae negationes nunquam facient oppositionem, ita nec duae affirmativae sibi poterunt opponi.

§. 28. Coronidis loco ex *Celeb. STAHLII* *Quid sibi* mente quaedam de *Propositionibus Biparticularibus* ad- *velint Bi-* jicio, quae signum *Non-Omne* praefixum habent, & *particula-* *Laur. Vallae, August. Hunnaeo & Scheiblero* duplicem *res?* expositionem admittere videntur e. g. *Non omnis homo est dives* significare dicitur: *Q. homo est dives, Q. homo non est dives* Sed si haec ita se haberent, posterior propositio esset falsa & ejus *Universalis* aff. esset falsa: *O homo est dives*, consequenter duae *Contradictoriae* possent esse falsae, quod nunquam concedendum.

S. D. G.

Pereximio Ornatislimoque

DN. RESPONDENTI

S. P.

Pertinax industria, quam per breve illud tempus, quo innotescere mihi cepisti, non sine animi voluptate in Te observavi, argumentum praegnans mihi subministrare videbatur, optima quaeque de Te sperandi, coetivique sanctiori, cui Te Deus aliquando praeficere dignabitur, toto pectore congratulandi. Tametsi vero ea propter omni nisu commodis Tuis studiisque invigilandum mihi esse intelligerem: laetiori tamen animo id exequor nunc publice, cum erudito specimine in arena disputatoria vires periclitari animum appulisti. Recte hoc pacto a vulgi fece recedis, quae sibi soli sapiendo, nec, quae hausit, cum aliis communicare, nec a dissentientium objectionibus vindicare discit. Ego ut laudibile hoc non possum non probare studium; ita nunquam non supremum Numen supplex venerabor, velit studia Tua, cum laude & industria hucusque gesta, ad exoptatam aliquando metam perducere, quo inter votivos charissimorum parentum applausus, tuorumque amplexus, dulcissimis laborum fructibus quiete cum tempore perfruaris. Vale.
Dabam Viteb. d. 3. Nov. cl. lxxc. XII

PRAESES.

Coll. diss. A. 67, misc. 66